



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii**

**Acquaviva, Claudio**

**Ingolstadii, 1592**

**VD16 A 125**

Capvt XIV. De exercitiis secundæ hebdomadæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

negotium eiusmodi est, vt nisi cum feruore spiritus suscipiatur, non possit habere bonum successum. requirit enim magnum, & fortem, & constantem animum, qui ex augmento deuotionis proueniat. Verum est, quod si quis esset, à quo nihil magnum sperari posset, quia non esset admodum capax, vel impeditus esset statu matrimonij, posset pro eius captu, aliquid addi de sequentibus hebdomadis, vt dirigatur in statu, in quo est, ad bene viuendum in eo. Ceteros autem melius est relinquere cum fame, vt sciant adhuc sibi restare aliquid quod faciant. Contingit enim saepe, vt hac dilatione experientia ipsa apertius eis detegat suas necessitates & infirmitates; quod facit, vt deinde ardentiores & magis dispositi redeant.

*De exercitiis secunda hebdomada.*

CAPVT XIII.

**P**RIMUM EXERCITIVM in hac secunda hebdomada, est de Regno Christi, quod tamen non computatur inter meditationes, quia prima est de incar-

incarnatione Domini. Est igitur quasi fundamentum quoddam, aut proce-  
mium totius huius tractatus, & summa,  
ac compendium vitæ, & operum Chri-  
sti Domini in eo negotio, quod ei com-  
miserat Pater, de quo Esaias, Opus il-  
lius coram eo; & ipse Dominus: Opus  
quod dedisti mihi, vt facerem. Et sta-  
tim addit, quid nam id esset, Clarifica-  
ui te super terram, manifestauit nomen  
tuum hominibus. Vocat autem om-  
nes homines in societatem tanti, & tam  
gloriosi operis, vnumquemque iuxta  
suum gradum. Ex quo iam incipit ap-  
parere diuersitas graduum in imitatio-  
ne Christi. Dispositio autem quæ requi-  
ritur in anima eius, qui facit exercitia,  
hæc est, vt quantum est ex sua parte ten-  
dat in id quod perfectius est, si Domi-  
nus dederit gratiam, & vires. Vnde a-  
perte colligitur, ex hoc iam loco ani-  
mam incipere præparari, & disponi ad  
electionem status, quæ postea suo loco  
expressius proponetur. Sic enim, mi-  
rabili quodam artificio Spiritus sancti,  
hic anima excitatur ad perfectionem,  
vt deinde hanc eandem perfectionem

eliciat, & indaget in omnibus sequentibus meditationibus, Incarnationis, Natiuitatis & aliarum, & ita perfectionis semina, quæ hic sparguntur, per illas deinde meditationes latenter crescant & promoueantur, donec in tempore electionis suum fructum ferant. Atque hoc bene notandum est Instru-ctori pro sua directione, non quod de hoc monere debeat exercitantem, sed potius sinat res ipsas per se in eius anima operari, vimque suam exercere.

Neque hoc tamen impedit, quin hæc meditatio, sicut etiam quæ deinde sequetur de duobus vexillis, tradi possit etiam iis qui non sunt facturi electionem, quoniam etiam hi ea iuuari possunt; siquidem in genere tantum agunt de iis, quæ ad maiorem Dei gloriam ab vnoquoque fieri possunt in Dei obsequio, pro cuiusque capacitate.

IN HAC SECUNDA hebdomada notandum est, addi hic vnum præludium. Nam cum in prima hebdomada primum præludium sit constitutio loci, hic ante constitutionem loci ponitur quedam repræsentatio historię, seu mysterij

sterij quod meditandum occurrit. Hoc autē non ita intelligendum est, vt tunc immorari debeamus in meditando illo mysterio ( sic enim nihil differret præludium à meditatione ) sed ita est accipiendum, vt in primo illo præludio proponatur historia generatim, & quasi tota in communi, vt sciatur materia, de qua tunc cogitandum est, & anima incipiat in ea actuari, & ad eam eleuari, deinde vero in ipsa meditatione incipiat in singulis eius partibus immorari, easque ponderare & penetrare. Vt cum quis conicit oculos in tabulam aliquam pictam, in qua sit varietas rerum pictarum, prius vnico intuitu omnia confuse cernit, & scit quid in ea tabula contineatur, postea vero figit oculos in singulis particularib. rebus, quæ ibi pictæ sunt, easque sigillatim melius, & accuratius perpendit.

QVOD AVTEM attinet ad puncta harū meditationum, sumenda erunt in fine libelli exercitiorum, vbi mysteria vitæ Christi ordine posita sunt, distincta fere singula tribus punctis: etsi simplicioribus, qui ea non legerint,

aut legere non possint in Euangeliis, explicatius tradi oportebit, addita breui declaratione, vt dicitur secunda Annotatione ex viginti. Vnde quod in meditatione Incarnationis, & Natiuitatis etiam dicitur de contemplandis personis, & earum verbis, & operibus, intelligi debet, referendo ad illam, quam diximus distributionem, quæ in fine libri ponitur, nempe cogitando hæc in singulis punctis, vt occurrunt ordine suo, nõ autem quod necessarium sit omnes prius personas totius mysterij, deinde omnia verba eiusdem, ac demum opera separatim meditari: hoc enim præsertim in quibusdam meditationibus pareret confusionem. Quare hoc tantum voluit P. Ignatius, regulam dare in singulis punctis, quo meditantis intentio ferri debeat, primum quidem in ipsas personas, quæ in illo puncto occurrant, tum ad verba, si prius verba, vel ad facta, si prius occurrant facta. Et ita absoluto vno puncto transeat ad aliud, eundem ordinem in eo seruando.

Cæterum etsi hic tantum mentio fit de his tribus, non tamen prohibetur,  
quin

quin vt dicitur in tertio Notabili quarta hebdomadæ, possint etiam addi alia puncta, vt v. g. cogitationes, & affectus personarum interiores, tum etiam virtutes, & præterea modus, & finis mysteriorum, quæ occurrunt, causa item, & effectus, tempus, & reliquæ circumstantiæ, vt fecundior sit meditatio, & maior eis fructus.

EXERCITIVM QVINTVM, quod est applicatio sensuum, est facile valde, & vtile, imaginando nos videre, & audire verba, aut strepitum si quis fit, vel tangere, aut osculari, siue loca, siue personas, quod tamen fieri debet cum omni reuerentia & modestia, ac timore. Olfactum P. N. Ignatius refert ad odorandam fragrantiam animæ ex donis Dei, & gustum ad gustandum eius dulcedinem, quod vtrunq; significat præsentiam quandam rei, vel personarum, quas meditatur cum gustu & amore earum tenero. Quod aut hic dicitur, facta meditatione Incarnatiõis & Natiuitatis, faciendam deinde separatim hanc applicationem sensuum, intelligendum est idem deinceps fieri debere in reli-

quis meditationibus vitæ Christi, etsi non magnopere refert, vt fiat semper in meditatione separata, sed potest etiam fieri in eadem meditatione, diuerso tamē tempore, & hoc præsertim in quibusdam exercitiis, in quibus non adeo locum habet hæc applicatio sensuum, vt vnā horam occupet.

DIFFERT AVTEM applicatio ista sensuum à meditatione, quoniam meditatio est magis intellectualis, & magis versatur in ratiocinatione, & omnino est altior. discurret enim per causas illorum mysteriorum, & effecta, & in eis inuestigat attributa Dei, vt bonitatem, sapientiam, charitatem, & reliqua. At vero applicatio non discurret, sed tantum inhæret in illis sensibilibus, vt in aspectu, & auditu, & reliquis eiusmodi, quibus fruitur, & delectatur cum profectu spirituali. Est autem eius duplex utilitas; interdum enim cum anima non potest profundiora speculari, dum in his immoratur, paulatim disponitur & eleuatur ad illa altiora. Interdum autem contra, anima iam impinguata, & fernens deuotione ex cogitatione illorum

lorum



lorum myſteriorum altiorum, deſcendens deinde ad hæc ſenſibilia, in omnibus inuenit paſtum & conſolationem, & fructum ex abundantia amoris, qui facit vt minima quæque ac vel ipſi nutus magnifiant, & materiam amoris, & conſolationis præbeant.

IN MYSTERIIS Chriſti tradendis debet Inſtructor ea deſumere ex ipſo libro exercitiorum in fine, vbi, vt dictum eſt, deſcripta ſunt cum ſuis punctis. Quare qui magis verſati ſunt in meditando, iis ſatis erit dictare, vel dare in ſcriptis puncta, vt ibi habentur, admonendo, vt ſemper eandem formam teneant, quam prima die. Cum aliis autem minus verſatis oportebit ad particularia magis deſcendere, accommodando præludia ad materiam, & introducendo eos, vt ſciant ſibi proponere perſonas cum ſuis circumſtantiis, tum earum verba & facta, &c.

Si qui ſe exercet, fatigatus videatur, immo etiam ſi nõ adeo fatigatus ſit, tamen vt melius durare poſſit, expedit, vt detur illi aliqua relaxatio in horis meditando, & tunc omitti poterit medita-

ditatio, quæ fit media nocte, & retineri  
aliæ quatuor horæ.

Potest etiam in hac hebdomada, &  
sequentibus, post absolutas meditationes,  
reliquo tempore legi aliquis liber, sed  
eiusmodi, qui pietatem potius nutriat,  
quam intellectum nouitatibus exerce-  
at, vt sunt aliqua ex operibus S. Bernar-  
di, vel Gerson de imitatione Christi,  
vel Granata. Si vero liber hic contine-  
ret aliquem tractatum de Christi my-  
steriis, non expediret, vt ea legerentur,  
de quibus postea faciendæ sunt medita-  
tiones, sed de quibus iam factæ sunt, vel  
quæ eo die sunt faciendæ.

Quod attinet ad visitandum eum,  
qui exercetur, semel saltem esset visi-  
tandus in die, excepto tempore electio-  
nis, quo tempore solent incidere fre-  
quentiores desolatiões & perplexitates,  
quæ crebriorem visitationem requirunt.

*De electione.*

CAPVT XV.

**I**N OMNIBVS exercitiis nullus est  
difficilior locus, aut qui maiorē dex-  
teritatem, & discretionem spiritualem  
requi-